

Nos igitur certam de præmissis notitiam non habentes, ac Abbatem, & singulares personas Conuentus huiusmodi à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & poenis, à iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latissimis, si quibus quomodolibet innodat. existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absoltas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati. Fraternitatibus per præsentes committimus, & mandamus, ut vocatis omnibus qui fuerint euocandi, ac bonis & decimis præfatis prius coram te specificatis, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem eandem venditionem, & exemptionem, ac pretij huiusmodi conuersationem, si fiant, in evidentem dicti Monasterij utilitatem cessuras repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Abbatii & Conuentui præfatis bona præfata meliorem conditionem offerentibus vendendi, ac Incolas territorij Zuricani à solutione decimarum dicto Monasterio debitarum pro pretio inter Abbatem & Conuentum, ac Incolas præfatos conueniendo eximendi, ita tamen quod propter exemptionem huiusmodi non intelligatur translatum ius exigendi decimas in dictos Incolas, & dummodo venditio, & pretij conuersio unico contextu fiant, licentia in auctoritate nostra concedas.

Non obstante: rec: P A V L I II. prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterij, & Ordinis prælatorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibusunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contra ijs quibusunque. Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die xxv. Iunij. M. D. C. IX. a Pontificatus Nostri Anno Quinto.

S. Cobellutius.

I. Sauenier.

Locus annuli Piscatoris.

\*\*\*\*\*